



Huldricus Hagenauer Augusta ciuitate Rhe-
torum oriundus, eruditone & prudentia suo
tempore nulli secūds extitit. Itaq; Ludouicus Cæ-
sar & Bauariæ dux eum scrinijs præfecit, atq; suum
cancellarium elegit, cum autem is singulari dèxteri-
tate esset præditus, Ludouicus eius opera & consi-
lio domi & foris, pacis & belli tēpore usus, res ma-
ximas expediuit, atq; uaria hostium consilia dissi-
pauit. præsertim uerò cum pontifices Romani Im-
peratoris insidias tenderent, Huldricus sua doctri-
na eis restitit, atq; suum Cæsarem fortiter defendit.
Itaq; factum ut apud principes magnum sibi nomē
compararit. Cum autem mortis tempus adesse ui-

deret, testamento cauit, ne in templo aut cœnobio, uerū extra in honesto
loco sepeliretur. Verebatur enim effossi corporis contumeliam, & ab Anti-
christis (ita ipse uocabat) Auinionensibus talionem, quibus sese strenuè op-
posuerat. floruit anno post natiuitatem Domini millesimo trecentesimo tri-
cesimo. Auent. lib. 7.